10

EUROPÆ LABOR

CONFORMANDO

INNOCENTIO XII.

PONT. MAX.

EIDEM

SANCTISS. D. D. INNOCENTIO
Convictori olim ſuo

NUNC PARENTI AMANTISSIMO

A SEMINARIO ROMANO
Publicè exhibitus.

ROMÆ,
Ex Typographia Joannis Jacobi Komarek Boëmi apud Sanctum Angelum Cuſtodem. MDCXCII.

SUPERIORUM PERMISSU.

INNOCENTIO XII.
PONT. MAX.

SEMINARIUM ROMANUM
Felicitatem.

SANCTISSIMIS Pedibus Tuis venerabunda advolvitur hæc Domus, BEATISSIME PATER; *quæ licet, non uno nomine Tibi debeatur, eo potiſſimum titulo vectigalem Sanctitati Tuæ exhibet venerationem, quòd ſingulari Numinis beneficentiâ, Juventutem Tuam olim foverit, bonarum artium ſtudiis exercuerit, ac magnorum operum, quibus Rempublicam ſuſtentas, exceperit ru-*

dimenta. Optaſſet illa quidem famulares plauſus tibi deferre ſub ipſum exordium altiſſimæ Dignitatis, quam conſcenderas: verùm conanti ſtupor obſtitit, ac erumpentem lætitiam admiratio intercæpit. Is enim fuit multiplicis gaudii tumultus, ea plaudentium cogitationum ſeditio, ut ipſa cupiditas erumpendi viam occluſerit, fueritque in cauſâ moræ, feſtinatio. Nunc cum beneficio virtutis Tuæ abjerint in naturam miracula, ceſſit tandem laudibus admiratio, ac loqui licet: ſi tamen loqui ſit, & non potius balbutire, abſolutiſſima opera, rudi omninò linguâ perſtringere. Verùm hoc ipſum miraculo erit, quod munus hoc, qualecunque tandem ſit, magnum feceris: maximum autem facies, ſi feceris Tuum. Hac de re ambigere nos non ſinit Humanitas planè ſingularis, quâ, integrâ imperii majeſtate, omnibus eumdem Te præſtas, ideo verè maximus, quia minoribus unâ Tuâ Humanitate æqualis.

LECTORI BENEVOLO.

POPULUM Gloriæ, quem florentem adhuc annis eduxit in hoc lycæo ad immortalitatem Uirtus ſua; texit hactenùs inter umbras aliena Modeſtia; latere diutiùs non ſinit Contubernalis olìm Maximi Innocentii XII. Amplitudo. Tanti Pontificis Imaginem, non extimam quidem illam colorum veriùs umbrà, quàm luce, ſed intimam alteram animi, ſplendidis Virtutum luminibus expreſſam; quia Populorum admirationi, hujus Juventutis Nobiliſſimæ in exemplum producimus; accurrère ſpectatum Grandes Animæ, ſpectaculum & ipſæ aliis futuræ: noſtræque memores tenuitatis, ut hanc etiam Domui huic gratiam reddant, cohoneſtando pro Dignitate Pontifici Excelſiſsimo pompam nobis præſtant, quæ non contemnatur. Sic impares in Innocentii laudes, qui vocavimus in partem obſequii ſelectiſſimas ex Orbe Provincias, quarum labores Innocentio præſtitos dicimus; ex Provinciis ipſis ſplendidiſſimos Viros ſelegimus, quorum ſpectatum decus, Innocentii Majeſtatem deceat; debeatur huic Domui, quià de ſuo.

Horum igitur omnium, quemadmodum ea ſivè audita ſunt, ſivè ſpectata, Imaginem hìc Lector tibi damus.

Evo-

Evolabat ex Ædium ſummis foribus, magnum veluti aliquod hinc per Orbem evulgatura, Grandis Fama; cujus in dexterà INNOCENTII DUODECIMI Gentilitium Stemma; læva Tubam ori auream admoverat, pendulumque è Tuba Vexillum, quod eventilandum auris dabat, hac Epigraphe diſtinxerat.

INNOCENTIUM XII.
PONT. MAX.

Ad Sapientiam, & Pietatem hìc olìm excultum
Ad Imperium Orbis Europâ totâ Informatum;

SEMINARIUM ROMANUM
Orbi gratulatur, & ſibi.

Prima deinde, quæ ſe occurrentibus in veſtibulo Porticus explicabat; hujus de more Domus nihil priùs habentis, quàm pietatem; plurimis Adoleſcentium, Virorumque Imaginibus coronabatur, quas exactâ in hoc Seminario teneriori ætate, aut INNOCENTIÆ candor, aut ſparſi pro Chriſto Sanguinis Purpura cohoneſtauit, Seminarii Decus, & Patrocinium; hâc mediâ Inſcriptione.

SAN-

SANCTISSIMO PONTIFICI
In Prætorianam Cohortem Pietatis Legio debita eſt:
Nec INNOCENTIO
Excubiæ melius pro foribus locandæ,
Quàm Innocentiæ Milites.
Ingredere ſecurus Hoſpes,
Ubi nullus ex adeò piis Stipatoribus timor:
Alliciunt iſti Populos ad Principis pompam,
Non ab eâ ſubmovent;
Ad cujus Virtutis Imaginem contemplandam vocant
Dum ſuæ proferunt.
Miraberis ſpectaculum menti tuæ par:
Innocentiam, & Pietatem
Quam in ſe ſingulis diſperſam exhibent,
In Uno capies Sanctiſſimo Pontifice
INNOCENTIO.

Hinc in ſuperiora aſcendentibus, obtulère ſeſe per gradus hinc, atque hinc Grandium Numiſmatum Albo inſcripta immortalitati, ſupra centum Doctiſſimorum Hominum Nomina, qui poſito his in Ædibus egregiæ litteraturæ tyrocinio, editis omnes in lucem publicam laudatiſſimis Voluminibus de Re optimè litterariâ meriti ſunt: pendentibus interim utrimque Heroicorum Inſignium Picturis, quæ non tàm pompam implerent, quàm quid in eâ ſpectatum ſit, apertum facerent. Hæc pro Scalis affixa Inſcriptio erat.

Pennis

Pennis ſuis illuſtriores, quàm Famæ
Quos leges hìc viros,
Lactavit olim à Pueritiâ Phœnices ingeniorum
In hoc Lycæo Sapientia;
Adultos jam gloriæ laudibus
Studioſæ Veritatis Facultates
Veritatis Arbitro INNOCENTIO
Nunc revocant,
Addituros ne pompam, an habituros?
Nuda Imaginibus nomina
Ne mirère.
Litteratorum laus hæc eſt:
Eſſe malunt, quàm videri;
Unâ ſatis imagine ſui contenti,
Quam lecta nomina tuæ pinxerint Menti.

Subiit animum antiquitatem Domùs hujus perſcrutari, ſi quâ aſſequi poſſemus, an quæ Juventutem hìc informat, Pallas foret; quæ ut Armorum Præſes eadem eſt, ac litterarum; Alumnos hìc ſuos litteratos facere noſſet, & Milites. Incredibilis Heroum Turba ex his ſtatim menti ſe explicuit, quos Bellica Laus inſignes fecit. Placuit ſeligere ituros in Tabulas, ſtimulum Poſteris ad Virtutem, ſupra quadraginta omnium Præſtantiſſimos, quorum quiſque Generali Armorum Præfecturâ ſplendidus hìc videatur. Horum laureatæ Icones ſuperiorem univerſam Porticum cohoneſtarunt: objectâ ſpectantibus Epigraphe.

Supremis Armorum Præfecturis inſignes
Triumphales tot Animas,
Quas Hoſpes vides,
In Bellum hinc eduxere Pacis ſtudia.
Jures Martis jam Domum,
Quam Sapientiæ eſſe credideras:
Expertus non Unum Equum Trojanum;
Quia Palladi Sacrum
Et Ulyſſes ſapientes dare, & Pyrrhos fortes.
Oderant hactenùs Poſteritatis diem
Laureata Capita
Unâ ſuâ luce contenta;
Longæ ſcilicet noctis damnum
Deinde compenſatura,
Si primùm INNOCENTIO
Prodiiſſent.

Una jam deerat, quæ pompam ſplendidè clauderet Eccleſiaſtica Dignitas. Principem igitur Domùs Aulam ſibi legit, ubi ſplendidiſſimum omnium Senatum è Purpuratis Patribus, ac Pontificibus explicaret: cum præſertim lacunari univerſo pictis floribus, bracteiſque aureis recèns diſtincto, ac variorum circumquâque Emblematum figuris picturato pariete, novus illi additus decor tantorum Hoſpitum Majeſtati Curiam fecerat non imparem. Purpuræ

hinc Sacræ numeratæ ſupra quadraginta, quarum in luce Supremis Tiaris inſignes Pontifices tres, GREGORIVS XV. CLEMENS IX., & INNOCENTIVS XII. luce Dignitatis Maximæ Domum implent, quam acerbâ adhuc ætate maturæ Virtutis lumine illuſtrarunt. Hæc autem ſummis Aulæ ipſius foribus præfixa Inſcriptio.

Aulam hanc,
Quam ſibi Virtus in Theatrum Legit,
Statuit honor in Templum:
Fœdere nullo juſtiore;
Ut honorum inſignia præferant Grandes Animæ,
Ubi mereri cæpere.
Splendida hactenus in Purpurâ Regibus pari;
Auguſtior in Tiaris unâ Divinâ minoribus
Novos adhuc ſibi cultus addidit.
Cauſam ne quære:
Pontificem habet INNOCENTIUM.

Hinc Aulam introgreſſis, ſatiato jam amore Grandium Animarum Tabulas contemplandi; frequenti Purpuratorum Patrum in conſeſſu hæc INNOCENTIO XII. perſoluta eſt, tamdiù ante debita gratulatio.

INTRODUCTIO
DICTA

A Com. Guido Stampa Mediolanenſi.

SAPIENTER olim edixit Ægyptus, ne ſimulacra Heroum ab unico tantum inſculperentur Artifice; rata videlicet illa Terris omnibus celeberrima fore, quæ totius in ſe Regni collegiſſent induſtriam: Ita plurimorum ſtudio marmor quodlibet elaboratum, artis erat miraculum, in quod ſtatuendum tot in unum miracula redigerentur, quot membra. Aliquid tale Divinæ etiam Providentiæ conſilio ſpectari uiſum eſt, ut INNOCENTIUS XII. Eccleſiæ Solium impleret Maximus. Deſtinatum ante Chriſtiani Orbis Imperio, excultiſſimis Europæ Provinciis, quas moderaretur, exercendum dedit, ut dum ſingulas habet in quibus ſingulare aliquod Virtutum ſpecimen præbeat Summo Principe dignum, in ſingularum Regimine ad Orbis totius Adminiſtrationem informaretur. Tantum Europæ laborem, cui (abſit verbo invidia) prima duxit olim lineamenta hæc Domus, numeris jam ſuis omnibus abſolutum in lucem Gloriæ producimus: rati nullam INNOCENTIO ſplendidiorem commendationem fingi poſſe, quàm quòd ſplendidiſſima Orbis Pars laudi ſibi maximæ vertat tàm impensè elaboraſſe, ut ejus Virtutem Maximam faceret.

INNOCENTIUS XII.

Vicariæ, quàm ſuſtinet, Numinis Majeſtati

P A R.

O R A T I O

Habita

A Dominico Bardi Florentino.

ROMANUM Pontificem, Vicariam ſcilicet Numinis Majeſtatem, lædit veriùs, quàm laudat quiſquis illi humana ſolùm, cæteriſque mortalium communia præconia avarus laudator adſcribit. Quantò ſupra reliquos faſtigio Dignitatis altiùs aſſurgit, tantò etiam reliquis eminere debet genere laudationis. Ut ut omnibus eum hominibus anteferas, malè de illo meruiſti; auſus es comparare. Altiore illum decempedâ oportet metiri; nec ulla poteſt certior excogitari, quàm illa ipſa Divini, quem obtinet, gradùs Amplitudo. Quicunque Dei vices in Terris pro Dignitate implet, non eum ſummis adæquari viris, ſed quantum fas eſt, Deo ipſi eſſe quàm ſimillimum convenit. Deſperate igitur (quid ambitiosè mihi occurritis?) deſperate, inquam, in argumentum laudationis venire præclariſſimæ quidem, pulcherrimęque INNOCENTII Virtutes, ſed quas ille cum humanis Principibus habet communes. Nihil in INNOCENTIO vacat intueri mortale: nihil per me fortunæ debebit ſuæ. Exuo ego illum omni Principa-

cipatùs humani pompâ, & INNOCENTIUM tantummodo propono Chriſti vices in Terris glorioſiſſimè ſuſtinentem.

Et primò quidem; ſicut Deus Homo Cœli potiùs opus fuit, quàm Terræ; ſic INNOCENTIUM nobis longâ ſuſpiriorum contentione expugnati tandem, & exorati Terris Superi indulſerunt. Quàm enim vecors, & inops omninò conſilii humana quævis cupiditas fuiſſet in eo Pontifice eligendo, quem ab omni mortalium rerum affectione intactum adeò, & impenetrabilem ſuſpicimus, ut ne impetrare quidem ab illo poſſimus amorem ſui? enim verò temperare ſibi in ipſo limine non poteſt Oratio; & vereor, ne laudationis oblitus in importunas querelas iniuſſus dolor erumpat. Quorſum enim tendit graviſſima illa, perpetuaque curarum ſeries, quibus noctes, & dies, privatim, & publicè diſtractus, ætate jam feſsâ, incommodis viribus, valetudine non ſatis integrâ, neglecto medentium conſilio, precibus Domeſticorum poſthabitis, aliam ſibi quietem, aliud otium imperare, quàm mutationem laboris? Ita ne qui tantam publico ærario reverentiam habes, ut nihil inde in Tuos, nihil in Teipſum audeas derivare, tàm portentoſam tui prodigentiam religioni non habes? iraſcimur propemodum, & odimus intemperantiam iſtam benevolentiæ erga nos Tuæ: utinam parciùs diligas, ut diutiùs diligas; Felicitatem noſtram dum anxiè nimis ſollicitèque quæris, perdis; ea enim vera eſt, maximaque Populorum felicitas, Optimi Principis incolumitas.

Cui jam in generoſâ adeò ſui negligentiâ vacet admirari ſpecioſam illam glorioſiſſimæ Patriæ, ſuorumque oblivionem; quâ ut olim Sanctiſſimus Reparator loco Fratris, Matriſque ducebat quicunque Divini Genitoris imperia ſtudioſiùs capeſſeret; ita nunc INNOCENTIUS eos ſibi coniunctiſſimos exiſtimat, quos invenit optimos; adeòque ſimillimos ſibi. Novum hoc cognationis genus Virtuti debitum, non naturæ, Morum neceſſitudo. Nemo iam fortunæ ſuccenſeat, ſed ſibi: liberum unicuique eſt INNOCENTII propinquum ſe facere,

quia

quia poteſt unuſquiſque optimus fieri. Talem profectò eſſe decebat Patrem Credentium: egreſſus eſt novus Abraham de Terrâ ſuâ, de cognatione ſuâ, de Domo Patris ſui; Divinaſque curas, & capaciſſimam illam amoris immenſitatem æmulatus totum Genus Humanum adoptavit in filium, totumque Orbem Chriſtianum amplexatur ut Patriam. Quamquam ut verum fatear, non omninò excidiſti ex noſtri Principis animo, Patria fortunatiſſima. Novimus ſub initium Principatùs Nobiliſſimæ Supellectilis pretium illius iuſſu in tuorum Pauperum ſubſidium largiſſimè erogatum; & ſubinde aliàs eorum inopiæ uberrimè conſultum; ut vice jam versâ quoddam tibi in Pauperibus tuis à Pontifice tributum ſolvi videatur. Quantum debes Neapolitana Urbs Pauperum tuorum calamitati! minus debes ſplendidiſſimis Heroum tuorum Imaginibus, minus deliciarum tuarum amænitati, minus etiam ipſi Pignatellii Sanguinis generoſiſſimæ Stirpi: nunquàm, nunquam fortaſſe INNOCENTII animo occurreres, niſi illi eſurirent; ut planè calamitati invideat ipſa felicitas, cùm per illam certior ad Principis animum pateat acceſſus. At anguſtis ne adeo finibus effuſiſſima Pontificis Charitas cohibeatur? Habent hoc Cœleſtia quæque, cum nullis liberalitatem ſuam limitibus circumſcribant, ita tamen omnibus ſeſe impendunt, ut tota videantur eſſe ſingulorum. Quid tamen hìc potiſſimum prædicem? mirabuntur alii immodicam penè in Pauperes liberalitatem, cui ne totum quidem ſatis eſſet ærarium, niſi novum illi, & inſolitum vectigal Principis Parſimonia, addidiſſet: majori tamen miraculo mihi eſt ſingularis illa benevolentia, quâ Pauperes ſuos ſemper gerit in animo, ſemper habet in ore, omniumque miſerias ſuas facit. Facilius eſt invenire qui alat, quàm qui amet; eòque amor eſt munificentiâ laudabilior, quò magis potuit negari. Quoties in Humanis Principibus ambitio eſt, quàm liberalitatem vocamus, & ſuperbiæ ſuæ ſibique tribuunt, quidquid nobis videntur elargiri! Dei prope unius eſt prodeſſe, quia

amat

amat. Quàm pulchrum ſanè ſpectaculum, cernere ſubinde obſeſſum miſerorum turbis Pontificium Solium, & proximam Numini Majeſtatem aſſuetas Regalibus precibus aures, minutæ Plebeculæ votis, querimoniis, jurgiis inclinantem? ipſe ſupplices libellos excipere: ipſe blandis vocibus, & vultu invitante timidam verecundiam excitare: ipſe incredibili benignitate omnium calamitates recreare, & adhibere omnibus ſaltem grande illud curarum lenimentum, conſcientiam Pontificis, & commiſerationem; in hoc etiam Deo ſimillimi, cui vota noſtra ſine Interprete aperimus. Enimvero prope eſt, ut exclamem: neget Princeps, dum audiat; plus debebo, quàm ſi impetrarem non auditus: Impetravi tunc quoque, quod charius, quod difficilius erat, Principis alloquium.

Ea tamen dignior Pontifice, & propria magis miſericordia, quæ animorum calamitatibus impenditur: Divinam enim liberalitatem non æmulatur quicunque Terras tantùm hominibus elargitur. Fuit ſanè aliquorum Principum laus Urbes, Provincias, Regna etiam incredibili munificentiâ erogaſſe: Pontificiæ tamen liberalitatis tantummodo eſt, etiam Cœlum impertiri. Quod quàm mirificè, quàm egregiè præſtat INNOCENTIUS! Dicamne Sanctiſſimas Leges, quibus Eccleſiaſticam Diſciplinam priſtino ſplendori Majeſtatique reſtituit? Sacrarum Virginum Collegia ad Veteris Inſtituti Sanctimoniam, auſteritatemque revocavit? ſacrilegos religioſæ vitæ transfugas ad vetera ſtipendia humaniſſimè invitavit? an potius ſingularem benevolentiam, quâ pluſquàm Patrem ſe gerit in eos etiam, qui extra ſinum Eccleſiæ degentes, filii eſſe dedignantur? ut planè nunquam magis cum Patriæ fidei erroribus illorum animos pugnaſſe crediderim, quàm cum Regnantem Romæ INNOCENTIUM invenerunt; tantâ morum integritate, eo humanarum rerum contemptu, tàm effusâ charitatis amplitudine, ut eum gerere in Terris Chriſti vicem etiam iniuſſi credere valeamus. Scilicet Cœleſtis illa, & pluſquàm humana vivendi ratio fidem etiam contumacibus

bus

bus facit pluſquàm humanæ dignitatis. Quantus enim amor æquitatis? quantus vitæ Innocentiſſimæ Candor? quantus legum reſpectus, & reverentia? Teſtes vos ipſi oculos veſtros habetis, quantâ Religione, & Conſtantiâ evolutis proximè ſanctioris Hebdomadæ diebus à morbo adhuc recens, cicatrice vix obductâ, latere non ſatis confirmato, ſanctiſſimos Eccleſiæ ritus & munia obire, non ſine graviſſimâ corporis defatigatione voluerit; ut proinde aucta per eos dies nobis ſit admirationis, miſericordiæque materies; dividerentque ſibi pietatem noſtram, ipſaſque ferè lacrymas Divini Cruciatus, & INNOCENTII Labores; qui nunquam Divini Reparatoris Vicarium manifeſtiùs ſe exhibuit, quàm cum illius etiam pœnis viſus eſt aliquatenùs ſucceſſiſſe. Rectè, Parens Sanctiſſime: hæc una certior ratio eſt Uniuerſam Chriſtianam Rempublicam ad melioris vitæ frugem ſtatim revocandi: ita ſiquidem nati ſumus, ut Principis vita lex ſit & norma firmiſſima, cui ſeſe attemperant ſubditæ gentes; adeò ut, Plinio teſte, unius penè moribus omnes vivamus. Quæ cum ita ſint; quid aliud nobis optandum ſupereſt, niſi ut quam ſimillimam ſui Imaginem liberaliſſimus Deus nobis indulſit, eam diutiſſimè ſervet, perpetuet nobis pretioſiſſimum munus, & maximum beneficium cumulet diuturnitate. Hæc omnium votorum ſumma eſt; nihil ultrà expoſcimus. Satis nobis eſt, ſi INNOCENTII incolumitatem à Superis impetremus: Cætera ab INNOCENTIO, & in INNOCENTIO impetrabimus. Æternùm igitur vivat ad æternam Orbis Univerſi felicitatem: & quem Deo ſimillimum ſuſpeximus, Utinam ſimilem etiam (quantum Mortali per extremam longævitatem imitari fas eſt) videamus in immortalitate.

INNOCENTIUS XII.

REJECTA PRINCIPATUS POMPA

PRINCEPS MAXIMUS.

CARMEN

RECITATUM

A March. Joanne Cribellio Mediolanenſi.

ROmani Cineres, veteriſque Cadavera faſtùs
Semirutæ Moles, inſcriptaque ſaxa Triumphis,
Relliquiæque Operum, & quidquid latet Urbis in Urbe
Ite, diem ſperate. Alto incidendus in Arcu
Imperat, & famulum tenet INNOCENTIUS Orbem.
Ille licèt contemnat opus, Sceptroque Potenti
Disiiciat meritam ſurgentem ad ſydera Pompam;
Inſtar Molis erit ſpretæ nova Gloria Molis,
Et veſtræ pretioſa ſtrues congeſta ruinæ
Principe erit dignum Solium; quo ſubdita ſpectet
Arduus Imperia, & leges diſpenſet in Orbem.
Quà Sacra, Romuleos nunquam tacitura Triumphos,
Semita ducebat tractas elephante quadrigas;
Nunc tardi ſua plauſtra boves: quam victa trophæis
Ornabant jam Regna ſuis; nunc ipſa trophæum
Tempore victa jacet propriis tumulata Triumphis,
Clara tamen: teritur nullum ſine nomine ſaxum,
Calcaturque omni Veterum Victoria paſſu,
Et ſupereſt quantum quocunque in fragmine poſſit
Victrix Roma legi: Magnum hìc in nomen iturum

Faſci-

Faſcibus Auſonijs, & multâ luce coruſcum,
Ipſe ſuo Romanus Amor (niſi fata reſiſtant)
Pontifici tollebat opus. Stant ſparſa futuri
Membra tholi, pariæque baſes, curvataque in arcus
Marmora, parque operi cæpto promittitur Heros.
Aſt ubi disjecit medio in conamine Molem
Contemptrix vanæ generoſa Modeſtia pompæ,
Sic Pallatino ſpectans de Colle ruinas,
Additaque ad veterum cæpti nova rudera ſaxi;
Orſa eſt Roma queri. Pariterne jacebitis ambo
Faſtùs, & Virtutis opus? Nec diſpare fato
Quaſque ſtruit, pereant, Romana ſuperbia, quaſque
Ipſa negat Patris ſibi dura Modeſtia, moles?
Ergo parùm fuerat monumentis invida noſtris
Annorum, Armorumque lues? metus additur Hunnis
Principis ipſa mei Pietas, Goticiſque favillis
Conjurat Virtus! Quàm grandis honore trophæi
Te parcente, Parens, fraudamur! Cederet arcu
Ipſe ſuo Titus, & titulos, ac nomina ſaxis
Sculpta ſuis Tibi ſpontè Ducum concederet ardor.
Deliciæ Terrarum incideris: ipſe propinquâ
Septimius de mole volet Tibi ſcripta revelli
Nomina Victoris; placidæ Te Pacis amantem
Pacatorem Orbis dicet, titulumque Tyranni
Mœnibus excluſi, Tibi Conſtantinus ab Arcu
Transfugere, inque Tuam jubeat ſuccedere Molem,
Qui ſcelerum Vindex, Vitiique tyrannide pulsâ
Indocilem ſervire, vetas Te Principe Romam
Regna minora pati. Sed cum vitia omnia pellas,
Ingratos cur eſſe jubes? cur Æquus in omnes
O Meritis non æque Tuis data præmia differs?
Per Te crevit honos Virtutibus; unica Virtus
Cur Tua promeriti fraudatur honore Triumphi?
Diſcimus ergo Tuis à Te diſcedere factis,

 Impe-

Imperiiſque Tuis Meritumque, & Jura repugnant;
Et moles prohibendo jubes: majoraque tollet
Plebis amor, Populique ardor monumenta trophæi,
Non ſaxis inciſa; Animis; non credita terris,
Sed Cordi, quæ ſculpet Amor, quæ Gloria pinget,
Attollet Plauſus, Stupor incurvabit in Arcum:
Atque ubi Te triplici Lateranus inauguret auro
Regnatorem Orbi, jam pectore (cernis?) in omni,
Inciſos ſaxis titulos & nomina fruſtrà
Dedignate, Parens Romanæ inſcriberis Urbis.
Deſierat ſic Roma loqui: cum creſcere ſenſit
Tarpejâ de Rupe ſolum; ſtupet inſcia, monſtrum
Quid ferat? Artifici longè tùm Gloria dextrâ
Cum Capitolinæ Diadema capeſſeret Arcis,
Colle ſuper medio, magno molimine tolli
Pontifici Solium dederat. Convertit ab arcu
Protinus ad Solium ſtudium Regina Quiritum.
Nec mora: relliquias operis diſperſaque Molis
Marmora, Pyramidas, Simulacra infecta, Columnas
Hùc transferre parat: Cumulum coacervat in unum
Cuncta; triumphalis ſtruitur congeſta ſupellex
Auguſto par Pegma Pedi, quo celſior extet,
Creſcat & à ſpreto Majeſtas ardua luxu.
Inde Promethæa religatum compede Faſtum
Tunc primùm inviſas dignantem lumine Terras
Degeneremque ſui Solio ligat: additur unâ
Pompa comes, jam fronte minor, phaleriſque relictis
Victori calcanda ſuo; mox Tybris, & Urbes,
Regnaque quot placido gaudent, Te Principe, Sceptro,
Inſedere gradus: dextrâ lævâque coronant
Agmina Virtutum: lateris ſtat Gloria cuſtos,
Auguſtique Thori medium INNOCENTIVS implet.

INNOCENTIUM XII.
PONT. MAX.
ELEGIA
Publici Parentis nomine ſalutat;

Dicta à Paulino Santino Lucenſi.

SI vacat Auguſtum leviora in nomina Nomen,
  Principis in titulos me quoque ducit amor;
Si placet in mores olim migraſſe Parentis,
  In tua nunc migret nomina Patris amor.
Regia dum geſtas, & Sceptra Vicaria Cœli,
  Te ſupplex Orbis, Te Tua Roma colit;
Dum tamen oblito permutas Principe Patrem,
  Romula Te tellus, Te Tuus Orbis amat.
Imperium quamvis terris proferret, & aſtris,
  Et Cœlo Numen poſſet, & Orbe coli;
Æternum condens hominis ſub imagine Regem
  Per mala, per mortes nomen amantis emit.
Numinis in Solio mores Tu Numinis addis,
  Dum plus, neglecto Rege, Parentis habes.
Te Patrem ſentit damnatæ ſortis Egeſtas,
  Regia plebeiam dum levat arca famem.
Pauperibus ſortem nec fas damnare malignam,
  Pro cenſu, Princeps, dum breviore ſubis.
Principis in cenſum ne Plebs jejunia pendat,
  Publica mutato viluit ære Ceres;
Nec terrent inopes pretioſa obſonia menſas
  Ceu vectigalem poſceret Aula famem;

Sed

Sed vitæ pretium, quod Te ſub Principe crevit
  Nutriri pretio pauperiore jubes:
Publica regnantem non Te patrimonia norunt,
  Dum tua privatus commoda cenſus alit.
Quas Populo largiris opes, Tibi detrahis uni;
  Hoc unum è Populo Te negat eſſe tuo.
Cætera non Regem, ſed Te probat Aula Parentem,
  Pervia communes dum vocat Aula preces:
Aula patet: celeres properate in vota Quirites;
  Jam licet Auguſto Principis ore frui.
Non ille arcanis ſeſe penetralibus abdit,
  Ceu magis ignoto poſtulet ore coli:
Sed faciles aditus, faciles largitur & aures,
  A mediâ gaudens ſe quoque plebe peti.
Turba fremit; toto plaudunt ſed ſydera Cœlo,
  Dividit in miſeros dum pia cura Patrem.
Hos fovet alloquiis, hos vultu ditat amico,
  His placet, attentâ dum bibit aure preces.
Promiſſis alios, alios & munere donat,
  Omnibus & voto divite donat opem.
Sed licet immenſis pandat ſeſe ædibus Aula,
  Explicat Auguſtum non ſatis Aula Patrem.
Hinc Populi votis deſint ne Principis aures,
  Sæpè etiam mediâ naſcitur Aula viâ.
O quoties, ſacro luſtrat dum compita curru,
  Obvia conantes turba retardat equos!
O quoties, Populi fremerent cum vota precantis,
  Injuſſæ curſum continuere rotæ!
Votaque præcipiti ne perderet impete currus;
  Ad Populi voces Principis hæſit Amor!
Et vultu quoties, quoties ſolatia curis
  Ore tulit, Numen quo ſolet ore loqui!
Supplicibus juvit ſæpe admoviſſe libellis,
  Tartara quæ terret, quæ movet aſtra, manum.

Vota-

Votaque ne Sacri Majeſtas terreat oris,
  Excubat Auguſto totus in ore Parens.
Senſit Romano latitantem in Rege Parentem,
  Arctoo, Princeps, cui natat Aula Mari.
Ille triumphalis relegit dum rudera Romæ
  Saxaque conſumptis ambitioſa notis;
Plus aliquid belli exuviis, atque Orbe ſubacto
  Principis in vultu Regius Hoſpes habet.
Hæſit ad occurſum, blandæ dum lumina frontis
  Dum Cœlo dignum ſpectat, & Orbe Caput.
Hæſit, & Arctoi ridens mendacia vulgi
  Damnatam Sacro diſcit in ore fidem,
Senſit, & Auguſti blandos Genitoris amores,
  Furtivæ numerat dum pia dona manùs.
Nam licet Auguſtam celarent munera dextram,
  Muneribus Princeps ſenſit ineſſe Patrem.
Atque utinam, Patrii repetit dum Regna Bootis,
  Signatum memori pectore nomen eat!
Forſan hyperboreo prognata ſub æthere pubes
  Romani poſthàc iura Parentis amet.
Barbaraque ignoto numerabit pignora Cœlo,
  Ne ſterili pereat nomine Patris amor
Tantum ne deſint ſpatiis felicibus anni,
  Queis toto fias unus in Orbe Parens.

CAMPANIA

SOLI UBERTATE FELIX

INNOCENTII XII.

Archiepiſcopi tùm Neapolitani Charitate felicior.

ODE

RECITATA

A Joanne Baptiſtâ Centurione Januenſi.

Ludor? an ſacri Solium Quirini
Occupat Princeps Amor? & Tiarà
Splendidus frontem, bene temperato
Præſidet Orbi?

Ut rapi geſtit! (viden?) utque mites
Dividit vultus! Solioque pronus
In ſinus pendet Populorum, & abdi
Cordibus ardet!

Ite Campanæ Charites: ſuperbum
Inſulâ crines Latiali, Amorem
(Ite; nam veſtra eſt ſoboles) roſarum
Spargite nymbo.

Cura tam miti ſumus ante ſceptro;
Cum Gregi primum datus Alletino,
Moxque Sebethi per aprica nuper
Paſcua circum--

Egit

Egit Armentum , radiatus Oſtro
Paſtor . Heù duræ miſerum ruinæ
Clade Sebethum! memorem quid ultrà
Triſtia mentem

Fata percellunt? video propinquo
Squallidos letho Populos ; tumultu
Mugiunt diro fora ; nutat omnis
Urbs cita ab imo

Pendula in ſtragem . Pater , i ; ruentem ,
I Amor , charam miſeratus urbem
Siſte : nutanti columen futurus
Grandius Orbi .

GERMANIA

EX ARDENTISSIMO

INNOCENTII XII.

In Religionem Zelo, quem Pontificis apud Cæſarem Nuncius prætulit; Pontificem auguratur.

ELOGIUM

Dictum

A Co. Gaetano Stampa Mediolanenſi.

QUam ardens in Religionem Amor INNOCENTIO ſit
Oportet:
Quem nec Septentrionis frigora premere potuerint,
Sed auxerint?
Clementis Noni in Germaniâ Nuncius,
In Natione omnium Glorioſiſſimâ
Recuperaturus Religioni tot palmas;
Ut Principis ſui non tàm nomini indulgeret, quàm genio;
Acriora aliis reliquit quibus pugnarent,
Tormenta animorum,
Clementius ſibi ſed efficacius legit;
Morum Exempla.
Nunquam aliàs in veræ Fidei cultum pronior Gens fuit.
Hæreſis ipſa in Eccleſiæ commodum,

Niſi

Niſi ſanguinem,
Fudit certè aliquid ſanguini par;
Malè ſcilicet occupatos Cœnobiorum redditus ditiſſimos
Meliùs reſtitutos.
Tàm miti Errorum Triumphatori
Debebatur ſuus in Religionis Capitolio Triumphus;
In Borrio impiæ Sectæ tunc Anteſignano
Præmiſſa ab eo,
Quæ pompam tùm Romæ inciperet
Captiva Impietas:
Hac Hoſtiâ litari cœptum ab eo Religioni eſt;
Dignâ, quæ vel inveniret Religionis Sacerdotem Maximum,
Vel faceret.

SEDATIS CIVILIUM BELLORUM DISCORDIIS,

Ac ſervatis à Schiſmate Græco Epiſcoporum in Lithuania Comitiis

SINGULAREM

INNOCENTII

PRUDENTIAM EXHIBET

POLONIA.

ODE

RECITATA

A Philippo Mignanello Romano.

QVò quò ſceleſtos, quò rapit impetus?
Veſtro ne, Cives, ſanguine dexteras
Fœdare ludus? nec furentes
Fata tenent, Patriæque buſtum?
Spectamus eheù! ſigna rebellium
Stridere campis. Plaudite Biſtones:
Jam victor Auroræ Polonus
In propriam furit ire cladem.
At quæ minaces hinc furias agit,
Facemque geſtans terrificam procul
Diſcors reluctantes Erynnis
Per medios volitare Patres
Feſtinat? ò quis Concilio metus?

Quid

Quid Sacra diris fluctuat Inſula
Concuſsa monſtris ? num Pelaſgûm
In veteres vocat error iras ?
Ah ! ſiſte quæſtus Viſtula : ludimur .
Pax læta Cives , Pax Roſeo Patres
Vultu ſerenatos labanti
Sarmatiæ Latioque reddit .
Jo ! Triones , Maxime Præſulum
Qui mente ſervas . Fallor ? an altior
Ex arce diſcordem Quirini
Conſiliis recreabis Orbem ?
Favere Divi . Gemmea ſplendidos
Tiara crines ambit ; & Arbiter
Cælique Terrarumque , Regum
Sub pedibus jubet ire faſtus .

INNOCENTIUM XII.

Adminiſtratâ tàm integrè in Bononienſi Legatione Juſtitiâ totius Eccleſiæ Principatu dignum refert

Æ M I L I A.

E P I G R A M M A

Habitum

A March. Paulo Hieronymo Pallavicino Januenſi.

CUm juſto Æmiliam regeres moderamine Princeps,
Moribus Aſtreæ prætulit illa tuos.
Mundum aliâ poteras appendere lance : ſtetiſſet
Immoto victor pondere Legis amor.
Par Vaticano , par Terris omnibus Atlas ,
Machina cui totus tàm levis Orbis erat.
Tecum Urbes fruſtra , & plauſus libravimus ante :
Lanx , Petri adjectis Clavibus , æqua fuit.

INNOCENTIUS XII.

In Hetruriâ Apoſtolicæ Sedis Nuncius Humanitate ad Pontificiam Comitatem proludit.

E L O G I U M

Dictum

A March. Alexandro Herba Mediolanenſi.

Rudimentum Pontificatûs poſuit in Hetruriâ
INNOCENTIUS XII.
Gemini ſimul Nuncius Pontificis
& CLEMENTIS IX.
Quem tùm Regnantem Dignitate referebat;
& INNOCENTII XII.
Quem Pietate prænunciabat.
Elegantiam morum imbibiſſet à Provinciâ
Niſi penitùs exhauſiſſet à Naturâ:
Urbanitatis Magiſtra Hetruria,
Habuit quod diſceret dum doceret.
Aruſpicinæ olim Inventrix
Scrutari exta aſſueta,
Cordis benignitatem pertentavit;
In quo extiſpicio
Nil fallax promiſit;
Futurum ut animos regeret qui animos raperet:
Extolleretur ſuper omnes qui ſe ad omnes demitteret:

Dignum

Dignus Imperio, quia nil imperioſus.
Roma olim à Thuſcis didicit Ritus Pontificum,
Nunc mores:
Debet illi Faſces, Trabeas, Lictores;
Plura nunc debet,
Non Principatus Majeſtatem, ſed ſui Principis Urbanitatem.

INNOCENTIUS XII.

Hieroſolymitanus Eques à Puero, Magnus deinde Melitæ Inquiſitor, Pontificiæ Idæa Conſtantiæ.

EPIGRAMMA

Habitum

A Joanne Baptiſtâ de Grimaldis Januenſi.

Candida Crux Equitis de pectore ſplenduit, alba
Ut Thracum exanguis redderet ora timor;
Cum Melitam Fidei ſervares Ultor; In Undis
Ambiguis, Animo par ſtetit illa Tuo.
Pontifici Tua prælusit Conſtantia; fletus
Sive Erebo, Populis gaudia ſive dares.
Vix Magnum ſuperas Te Maximus: antea amavit
Quem nunc Orbis amat; qui timuere, timent.

INNOCENTIUM XII.

Inſigni in Deum Pietate, ante Pontificatum Pontificem ſuſpicit ROMA.

EPIGRAMMA

Recitatum

A Joanne Baptiſtâ Viali Januenſi.

CUm Te Pontificem jamdudum poſceret Orbis,
Nec ferrent ſeras anxia luſtra moras;
Spectandum, Regni ſed nudum inſignibus, olim
Quæ ferres; Petri è vertice Roma dedit.
Cernitis ò Populi? nihil hic ſuffragia poſſint;
Imperium Pietas Hoc ſibi ſola facit.
Dixit & Auguſta eripuit ſpectacula, ſacrâ
Dum Cydari ornato fas foret ore frui.
Jam fruimur; ſed ne quiſquam malè computet annos,
Vitæ, INNOCENTI, conſulat acta tuæ.

S U M M Æ
INNOCENTII XII.
DIGNITATIS TYROCINIUM

Seminarium Romanum ſibi plaudit.

EPIGRAMMA

Dictum

A Carolo Riccio Florentino Ord. Hieroſol. Commend.

URbibus una Domus dubio certamine pugnat,
Belli, INNOCENTI, es cauſa; Triumphus eris.
Vindicat Europe ſibi Te, cum ſcilicet omni
Pontificem Virtus Te Tua in urbe facit.
Sed morum auriferâ, Princeps, dum ſpargeris undâ,
Oſtia ſunt alibi fluminis; hic Caput eſt.

AD EMINENTISSIMOS
S. R. E.
PURPURATOS PATRES
OB RENUNCIATUM IN PONTIFICEM
INNOCENTIUM XII.
Romani olim Seminarii Convictorem
Gratiarum Actio.

Habita

A Com. Cæſare Ferretto Anconitano.

Tertia jam noſtrâ per Vos nitet Æde Tiara:
Quod Merito reddat Par, nihil orbis habet.

F I N I S.

SPECIAL
94-B16674

XXX

THE GETTY CENTER
LIBRARY

Acquisto

di C. 4: ½: con Caverne in Villa della Guizza

dalla Sig.ra Angela Capellari Lotto fatto con

Instr. 1778: 24: 9bre